Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36561
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

35

tione fatigatus curaret sua. et se forsitan relinqueret. et illos non
inveniret. Nam quotiens per cogitationis motum nimium extra nos
ducimur. et nos sumus et nobiscum non sumus. quia nosmet ipsos
minime videntes per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus.
qui in longinquam regionem abiit. portionem quam accepe
rat consumpsit. uni in ea civium adhesit. porcos pavit. quos
et manducare siliquas [videret] et esuriret [...] post mo
dum cepit cogitare bona que perdidit; scriptum de illo est.
In se reversus dixit. Quanti mercenarii in domo pa
tris mei habundant panibus. Si igitur secum fuit. unde ad
se rediit. Hunc ergo venerabilem virum secum habitasse
dixerim. quia in sua semper custodia circumspectus. ante
oculos conditoris semper aspiciens se semper examinans extra se
mentis sue oculum non divulgavit. PETRUS. Quid est ergo quod
de PETRO apostolo scriptum est. dum de carcere ab angelo eductus
fuisset. qui ad se reversus dixit. nunc scio vere quia misit
dominus angelum suum. et eripuit me de manu herodis. et de omni
exspectatione plebis iudeorum. GREGORIUS. Duobus petre
modis extra nos ducimur. quia aut per cogitationis lapsum
subter nosmet ipsos levamur. Ille itaque qui porcos pavit va
gatione mentis et inmunditie. sub semet ipso cecidit.
Iste vero quem angelus solvit. eiusque mentem in extasi rapuit.
extra se quidem sed super semet ipsum fuit. Uterque ergo ad se rediit.
quando et ille ab errore operis se collegit ad cor. et ille
a contemplationis culmine. ad hoc rediit. quod in intellec
tu communi prius fuit. Venerabilis itaque benedictus

Et ergo duobus modis extra nos ducimur
recidimus. aut per contem plationis gratiam super nos metipsos